



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

§. II. Et austeritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

CAPUT V.

*Discretionis consilia & praxes.*

§. I. SINGULARITAS VITANDA.  
*Ab omnibus, maxime ab iis qui canobiales vitam profitentur, vitetur singularitas.*

§. II. FERVOR ETIAM AVSTERITATIS.  
*Fervor, ne corpus inde obruatur, in austeritate vitetur.*

§. III. SCOPVS ACTIONVM DEVS.  
*1. Eius benefacitiam sectemur, nostro prorsus abnegato.  
2. Recte enim solius Dei intentio nobilitatem minimam operis.*

§. IV. AUXILIA GRATIÆ.  
*1. Gratia divine auxilium ubique invocandum.  
2. Et tractus internus Spiritus sancti reverenter observandus.  
3. Sic tamen, ut in rebus arduis semper utaris consilio peritorum.*

§. V. CHRISTI MERITA.  
*Christi meritis uniendo semper omnes actus nostri.*

§. I. SINGULARITAS VITANDA.

*Singula-ritas vitiosa, maxime in Canobis, eliminanda.*  
Sis in cunctis operibus & exercitiis tuis discretus, prudens, consideratus & strenuus: atque ad hoc adnitere, ut in illis tranquillitatem libertatemque cordis conserves. Cole Deum, & servito ei, non negligenter aut perfuntoriè, sed devotè ac studiosè. Singularitatem vitiosam diligenter fuge. His qui in Monasteriis degunt, & secundum communem approbatamque Regulam vivere debent, hoc singularitatis vitium præcipuè vitandum est. Sunt qui sibi mirè placent, si quidpiam fecerint quòd ceteri non faciunt. Magis exultant si semel jejuna-verint sociis manducantibus, quàm si decies cum aliis jejuna-

rent. Sed isti seipfos miserè fallunt.

§. II. ET AUSTERITAS.

Licet plerisque Sanctos homines vitam admodum rigidam duxisse legas vel audias, & magnus fortè fervor in initio conversionis tuæ ad inusitatam austeritatem amplexandam te impellat; non tamen inconsideratè sequaris hujusmodi fervorem, sed sapientum utere consilio. Quod enim sancti & perfecti fecerunt, id certo evidentique monitu ac tractu Spiritus sancti fecerunt. Vitia mortificanda sunt, non corpusculum opprimendum, nec natura destruenda. Ea crux & afflictio quam Deus homini imponit, multò securius portatur, quàm illa quàm homo ex propria voluntate assumit.

*1. Nimitas austeritatis cavenda, & discretionis ferore moderanda.*

§. III. SCOPUS VITÆ DEUS ESTO.

Quidquid facis vel omittis, fac & omitte propter Dei gloriam & honorè: ita ut in omnibus Deum per simplicem intentionem pure spectes, & ad eum præclaro fuisse bonæ voluntatis religatus sis, nusquam scienter & voluntariè quærens teipsum. Mox ubi deprehendis in te aliquam propriam atque inordinatam quæsitioem, repudia illam, & teipsum abnega: nam propria quæsitio, & propria voluntas, corrumpit cariosaque, efficit bona opera. Profectò vera sui abnegatio suaviter admodum resonat in auribus DEI, atque majestatem ejus mirificè oblectat.

*1. Voluntas divina nostra semper præferenda cum perfecta sui abnegatione.*